

134*). Eadem est ejus scriptura quae apparet in libris illis, et quae in titulis exterioribus paene omnium illorum 135 codicum. — Intra annos 1728 — 1732 a M. G. Weidmanno, erudito Bibliopola Lipsiensi, nobis venditi sunt multi codices quos ille Viennâ arcessiverat, id quod indicant haec verba quae Weidmannus ipse iis, si bene memini, omnibus inscripsit: „M. G. Weideman (sic fere semper; multo rarius „Weidmann“) — Viennâ.“ Numeri sunt hi: 141, 142, 146, 149, 157, 160, 161, 162, 165, 166, 169, 170, 175, 179, 181, 185, 199, 205, 207, 212, 218, 219, 221, 223, 224, 226, 233, 255, 258, 241, 245, 246, 250, 256, 259, 260, 271, 274, 277, 295, 304, 313, 373, 381, 398, 401, 402, 405, 412. — A. 1739 et 1747 Jo. Chr. Götzius, Bibliothecae Praefectus, novas ei copias conquisiturus, duo itinera per terras Austriacas et Italiam suscepit: e quorum priore retulit Codices hos: 217, 257, 275, 390, 400, 408, omnes A. 1739 Romae emtos. — A. 1750 aliquot codices, ut 144 et 278, ex auctione librorum V. E. Löschneri, Ephori Dresdensis, comparati sunt, et annis insequentibus multi alii a Seebischio Bibliothecae venditi, quorum nonnulli olim ad libros Golii et Acoluthi pertinuerant. Atque hoc loco notandum, nos ea omnia quae ex illorum virorum bibliothecis ad nos pervenerunt, a nemine nisi a Seebischio accepisse, id quod non semper omnibus notum fuit. Seebischiani igitur sunt Codd. 148, 150, 154, 164, 167, 168, 171, 172, 174, 177, 178, 180, 183, 184, 186 — 195, 198, 201 — 4, 208, 209, 213, 215, 220, 222, 225, 232, 243, 252**), 253, 254, 261, 265, 275, 276, 286, 289, 298, 299, 303, 314, 316 — 9, 352, 356, 365, 369, 379, 384 (olim Golii), 386 (item), 388, 392, 394, 395, 396 (olim Golii), 399 (item), 403, 404. — A. 1756 Reiskius Bibliothecae plures codices vendidit: 139, 140, 206, 228, 244, 397. E quibus duos primos dono acceperat a G. J. Lettio (cujus in Cod. 139 ipsae exstant ad Reiskium literae; Cod. 140 olim inter libros Golii fuerat), Cod. 206 ab Askew, Medico Anglo, et Codd. 228 et 397 a M. Hauboldo. Horum utrumque ante Hauboldum possederat J. C. Clodius, Prof. LL. OO. Lipsiensis, et Cod. 228 quidem olim G. Gentius, qui inde Rosarium suum politicum edidit. — E bibliothecis Comitum Brühl et Büнау etiam codices aliquot orientales ad nostram accesserunt: ex illa 307 et 366, ex hac 310, 334, 380 et 425. Multa singulatim quoque aut emta aut dono accepta sunt; veluti A. 1688 Jo. Frid. Trier, Bibliothecarius,

*) Hac occasione data, a Cl. Eberto monitus, jam agnosco, illud quod ad Cod. 59 verbo tenus transcripsi „Qaschthalân Qarâqûski“ esse polonicum et significare Castellatum Cracoviensem. Nota res de Castellanis apud Polonos, inter quos unus Castellanus Cracoviensis Palatinum ejusdem urbis dignitate praeibat. Similis ἀβλεψία mea fuit in No. 439, ubi scriptio turcica, ماز و سکی, me in errorem induxit, ita ut Mazewskiensem ponerem pro Mazoviensem, a provincia Mazovia.

**) Inscriptis Seebischius primo folio haec: „Coranum hunc Arabico-Persicum e castris Turcarum Viennensibus A. 1683 d. 2 Sept. felicissime expugnatis tanquam pretiosissimum spoliū reportavit M. Joh. Joachimus Haendlerus, legionis praetorianae in exercitu Saxonico Pastor, mihiq̄ue S. G. Seebischio dono obtulit.“